

IV.

(a pag. 177)

845 (?)

Altro Diploma di Lotario, ex Dandolo Chron.

In nomine Dñi. nr̄i. J. C. Dei Eterni. Lottarius divina ordinante providentia Imp. Augustus.

Dignum est ut Celsitudo Imperialis. quantum ceteros honoris, et potestatis fastigio antecellit, tantum erga omnes pietatis suae munus impendere satagat. Igitur omnium fidelium sancte Dei Ecclesie nostrorum, praesentium et futurorum comperiat magnitudo, quia Petrus Dux ac Spatarius Veneticorum per Evherardum fidem Comitem nostrum ac per missum suum Patricium nomine, nostram deprecatus est majestatem, ut ex rebus sui Ducatus, que infra ditionem Imperii nr̄i. consistere noscuntur, confirmationis nostre preceptum fieri juberemus, per quod ipse ac Patriarcha, Pontifices et populi illi subjecti sibi debitas res, absque cujusquam contrarietate seu refragatione retinere quivissent, quemadmodum temporibus avi nr̄i. Caroli per decretum cum Grecis sancitum possederunt. Cujus petitioni ut nobis coelestis suffragatio copiosir adsit, libenter adquiescentes, hos excellentie nostre apices decrevimus fieri, per quos statuentes decrevimus ut nullus in territoriis, locis peculiaribus, aut ecclesiis, domibus seu rebus et reliquis possessionibus presignati ducatus, quae infra potestatem regni nostri sitae esse noscuntur, iniquam ingerere presumant inquietudinem, diminorationem, seu calumniosam contradictionem, aut subtractationem nefandam, sed liceat eos prefato duci, Patriarche, Episcopis, populo sibi subjecto, seu successoribus suis, et heredibus, quiete absque cujusquam insulstantis machinatione aut sinistra cujuspiam molientis tergiversatione, jure gubernare, et gubernanda, prout liquidius in pre-designato decreto continetur, legaliter possidere. Et ut haec nostro confirmationis atque corroborationis auctoritate fidelibus Sancte Dei Ecclesiae et nostris verius credatur, et nostris successoribus per tempora labentia omni munimine stabiliatur, manu